

CAPUT II.

De Conscientia dubia.

20. *Quaenam sit conscientia dubia. - Quodnam sit dubium positivum et negativum. -*
 21. *Quodnam dubium speculative et practicum. - 22. Nunquam licet operari cum conscientia practice dubia. - 23. De eo qui scit aliquid esse malum, sed dubitat, an sit grave aut leve. - 24. Quid debeat agere qui est practice dubius. - 25. An liceat operari cum conscientia speculative dubia. - 26. De pluribus principiis reflexis, ex quibus formari potest conscientia practice certa. - 27. De lege dubia vel dubie promulgata et de lege certa dubie abrogata. - 28. De voto dubie emisso et de voto certe emisso et dubie impleto. - 29. Quid, de eo qui iudicat probabiliter implere votum. - 30. Quid, si quis opus voti jam praestitit, sed voti immemor. - 31. An subditus teneatur obedire superiori, in re quae est dubie mala. - 32. Dubia de diversis rebus. - 33. Quid, in dubio de valore matrimonii. (Remissive ad Lib. VI, n. 903 et 904). - 34. Quid, in dubio de solutione, si debitum est certum. - 35. Quid, in dubio de debito, si quis rem possidet bona fide. - 36. Quid, si contra possessorem urgeat ratio probabilis et nulla pro ipso. - 37. Quid, si possessor, superveniente dubio, neglexerit inquirere veritatem. - 38. An possit Eucharistiam accipere, qui dubitat an aliquid cibi vel potus deglutiverit. - 39. Quid, si dubitat an deglutiverit ante vel post mediam noctem.*

Conscientia dubia.

20. - Conscientia dubia est ea, quae suspendit assensum pro utraque parte dubii, remanetque anceps et haesitans. — Dividitur autem conscientia dubia in practice dubiam, et speculative dubiam.

Dubium negativum et positivum.

Dubium vero dividitur in negativum et positivum. *Negativum* est, quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles, sed tantum leves. — *Positivum* est, quando pro utraque parte vel saltem pro una adest grave motivum, sufficiens ad formandam conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito. Ideo dubium positivum fere semper coincidit cum opinione probabili, de qua in *Capite sequenti* loquimur ^{a)}.

Speculativum et practicum.

21. - Deinde dividitur dubium in speculative et practicum. — *Speculativum* est, quo quis dubitat de rei veritate, v. gr. an bellum aliquod sit justum vel injustum; an pingere die festo sit opus servile vel liberale; an Baptismus cum aqua distillata sit validus aut nullus; et similia. — *Practicum* autem dubium est, quo dubitatur de rei honestate, v. gr. an liceat

michi in tali bello dubie justo militare; an hac die festiva pingere; an hunc puerum aqua distillata baptizare.

Semper itaque distinguendum *verum a licito*. Dubium enim speculative, licet in obliquo, et potius consequenter respiciat licitum, tamen in recto, et principaliter, speculative respicit verum; practicum autem respicit licitum.

22. - His positis, dicimus I^o nunquam esse licitum cum conscientia practice dubia operari. Et casu quo aliquis operatur, peccat, et quidem peccato ejusdem speciei et gravitatis, de quo dubitat; quia qui se exponit periculo peccandi, jam peccat; juxta illud Eccli. iii, 27: *Qui amat periculum, in illo peribit*. — Quare, si dubitat an illud sit mortale, mortaliter peccat.

23. - Quid, si sciat quis aliquid esse malum, sed dubitat an sit mortale aut veniale, et cum tali dubio operatur? Alii censent hunc peccare graviter vel leviter, prout in specie objectum peccati est grave aut leve. Ita Vasquez, Sanchez, etc. Alii cum Azor, Bonacina, Castropalao, etc. ^{a)},

Practice dubitans illicite agit.

Dubitans utrum sit mortale an veniale, non semper mortaliter peccat.

20. - ^{a)} Opinio probabilis cum dubio positivo (si dubium stricte sumatur) tunc tantum coincidit, cum utriusque parti graves rationes militant, uti S. Alphonsus explicat in *Confess. diretto, cap. I, n. 8*, inquit: « Quando però v'è ragione grave dall'una e dall'altra parte, il dubbio positivo è lo stesso che l'opinione probabile ». Cfr. Gaudé, Dissert. de Morali system. S. Alphonsi, n. 32.

23. - ^{a)} Duae priores sententiae non adeo inter se differunt; Vasquez enim et Sanchez sub quadam distinctione loquuntur, cujus alterum dumtaxat membrum a S. Alphonso adducitur: « Quando conscientia (verba sunt Vasquez, in *1am 2ae, disp. 59, cap. 3, n. 10*, cujus doctrinae apprime consonat Sanchez, *Decal., lib. I, cap. II, n. 6*), quando conscientia non dictat esse mortale aut veniale speciatim, sed

putant semper peccare graviter. Alii tandem cum Navarro^{a)}, Valentia^{b)}, Granado^{b)} et aliis plurimis, satis probabiliter tenent tantum venialiter peccare, si homo ille minime advertit nec etiam in confuso ad periculum graviter peccandi, neque ad obligationem rem examinandi, et modo objectum non sit certe per se peccatum grave. Adde-rem: modo etiam homo sit timoratae conscientiae.

24. - Qui igitur est practice dubius circa aliquam actionem, debet utique prius dubium deponere per principium certum, vel reflexum, de honestate actionis (juxta id quod exponemus in Dissertatione de Usu opinionis probabilis): modo homo ille sit sufficiens ad formandam sibi conscientiam practice certam; et deinde potest operari. Si vero insufficientis sit (puta, quia rudis), tenetur parochum aut confessarium, vel alium pium ac doctum consulere, et juxta consilium agere. — Qui vero dubius esset, sed omnibus ponderatis ad-

Angelicus, 1^a 2^{ae}, qu. 76, art. 2. - Abelly, de Act. hum., cap. 1, sect. 5, § 5, n. 2. — Can. Quid culpatur 4, caus. 23,

tantum esse malum in universum, utrum sit mortale an veniale operari contra hujusmodi conscientiam?... Ego respondeo; cum quis peccat contra conscientiam, etiamsi illi non se offerat expresse esse mortale aut veniale, quia tamen... cuicumque se offerat aliquid tamquam peccatum per erroneam conscientiam, semper se offert in aliqua peculiari specie, vel contra religionem, vel contra justitiam; ideo semper constitui ejus peccatum in aliqua specie, ex qua judicari debet utrum sit mortale an veniale: quodsi interdum proponatur confuse ut peccatum, non determinata materia peculiari, neque sub tali existimatione, ut illud aliquo modo putetur esse leve; tunc sane esse mortale, quia absque sufficienti examinatione homo se exponit periculo gravioris peccati. — Secunda vero opinio solum de hoc ultimo distinctionis membro loquitur, cum nempe peccatum confuse, et non in determinata materia, proponitur; et cum priori sententia docet tunc lethale peccatum admitti; et ita tenent Azor, part. 1, lib. 2, cap. 8, qu. 6 et Bonacina, disp. 2, de Peccat., qu. 4, punct. 6, n. 22. Castropalaus tamen, tr. 1, disp. 1, punct. 3, n. 6, affert exempla materiae determinatae, licet obscurius loquatur, scribens: « Quid si conscientia non distinguit an veniale sit vel mortale, sed solum sub confusione tibi proponitur esse malum, qualiter solet rusticis proponi, cum in Deum jurant, creaturas execrantur, die festo laborant, verbum otiosum, inho-

verteret, dubium esse inane, hic bene potest (ut recte scribit Continuator Tournely) ^{a)} dubium suum deponere sine alia reflexione, et sic actionem exequi. Tunc enim, si malitia illius ignoratur, ignorantia illa est omnino involuntaria, utpote quae studio superari non potest; prout docet Angelicus.

25. - Dicimus II^o licitum esse operari cum conscientia speculative dubia, semper ac operans per alias rationes sive principia reflexa, judicat practice actionem suam esse certe moraliter honestam. — Aliae enim (ut sapienter ratiocinatur episcopus Abelly) sunt rationes, quibus judicamus de rei veritate, nempe de probabilitate, sive de dubietate alicujus opinionis, v. gr. quod bellum hoc sit probabiliter aut dubie justum; aliae, quibus judicamus de honestate actionis, scilicet quod in hoc bello, imperante principe, liceat subdito praeliari, juxta doctrinam S. Augustini supra allatam ¹.

qu. 1. Cfr. S. August. Contra Faustum, lib. 22, cap. 74 et 75.

nestum ac detractorium dicunt; raro enim illis proponitur dubium an mortale vel veniale sit, sed solum in genere malum esse representatur; cui quidem dubio respondet: « Probabilis esse in supradictis casibus peccatum mortale reperiri ». — Denique quod ad tertiam opinionem attinet, auctores pro ea allegati, eam utique tenent; conditionesque a S. Alphonso allatas et ipsi insinuant. Navarrus enim, Manual., praelud. 9, n. 9, scribit: « Peccata quae fiunt contra conscientiam dictantem illa esse venialia, vel esse simpliciter peccata, solum erunt venialia, si ex se alioqui non sunt mortalia ».

^{b)} Valentia, in 1^{am} 2^{ae}, disp. 2, qu. 14, punct. 4, quaer. 3; v. f., quaerens de eo qui judicat quippiam sibi esse illicitum, nec tamen distinguit utrum sit veniale an mortale, aut aliquid tale in specie, de quo scire possit esse mortale vel veniale, sed tantum cogitat « esse malum in genere »; et adducto Navarri responso, ipse concludit: « Itaque solum id erit peccatum veniale ». — Granado demum haec, in 1^{am} 2^{ae}, contr. 2, de Act. hum., tr. 12, disp. 7, n. 22, habet: « Si quis existimaret aliquid esse culpam, sed nullo modo in mentem veniret saltem dubitatio an esset mortalis vel venialis; tunc non peccaturum mortaliter, si illud vellet ».

24. - ^{a)} Contin. Tournely, de Act. hum., cap. 7, art. 4, v. Dico 2. loquitur de eo qui « conscientiam habet negative dubiam »; et docet eum posse « dubium suum tamquam male fundatum deponere, et actionem hanc exsequi ».

Speculative dubia trans licite agit.

Principia reflexa.

Quod autem ex principiis reflexis possit bene formari conscientia moraliter certa de honestate actionis, clare patebit infra ex Dissertatione opinionis probabilis, quam in fine hujus Tractatus afferemus.

26. - Horum principiorum principalissimum est illud, quod *Lex dubia non potest certam inducere obligationem*. — Veritas hujus principii (quod non negatur neque ab ipsis rigidae sententiae fautoribus) evidenter in Dissertatione mox enunciata probabitur. Vide ibi dicenda.

Ex hoc autem primo, efformatur secundum illud principium: *Melior est conditio possidentis* ^{a)}. — Quoties enim lex dubia minime ligat hominem, homo utique remanet solutus et liber ab obligatione legis, eoque casu licite potest uti sua libertate, quae vere possidet, cum lex est dubia; ait enim S. Thomas: *Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur* ¹. Hoc autem secundum principium, licet aliqui illud infirmare conentur, dicentes quod valet tantum pro foro, vel tantum in materia justitiae; ego tamen nescio quomodo in omnibus negari possit. — Quaestio tantum esse potest, an in quolibet dubio morali possideat lex, aut libertas. Antiprobabilistae dicunt semper legem possidere; nos vero dicimus aliquando possidere legem, aliquando libertatem, nempe cum lex non est adhuc promulgata. Haec (dico) quaestio est; sed nemo negare potest principium: meliorem semper esse possidentis conditionem. Casu igitur quo possidet lex, pro ea standum est; si vero possidet libertas, standum pro libertate.

Ad dignoscendum autem, pro qua parte in dubiis stet possessio, videndum pro qua stet praesumptio. Praesumptio

¹ In 4, dist. 15, qu. 2, art. 4, solut. 2. — ² Theor. juris, lib. 1, cap. 8, n. 19. — ³ De Religione, tr. 6, lib. 4, cap. 5,

26. - ^{a)} In Confess. diretto, cap. 1, n. 11, S. Alphonso primum locum assignat principio possessionis, idemque significat in Hom. apost., tr. 1, cap. 2, n. 14: quod sane magis suo systemati congruit. Cfr. circa horum concordantiam Gaudé, Dissert. de Morali system. S. Alphonsi, n. 26, 36 et 37.

^{b)} L. Possessiones 2, C. de probation., his verbis approbat seu potius innuit principium

vero stat pro ea parte quae non tenetur ipsa factum probare, sed onus probandi illud transfert in alteram: *Factum enim non praesumitur, nisi probetur*; quod est aliud principium approbatum a leg. 2, de probation. ^{b)} In dubio igitur factum non praesumitur, sed est probandum. — Si vero factum est certum, puta si matrimonium certe est initum, et dubitatur an rite initum sit, aliud principium servari debet: *In dubio, omne factum praesumitur recte factum*. Sive: *In dubio praesumitur factum, quod de jure faciendum erat*. Sive: *Standum pro valore actus*.

27. - Ex praefatis:

Infertur 1^o quod *si lex est dubie condita, vel dubie promulgata*, non obligat; quia possessio non stat pro ipsa, sed pro libertate. — Idemque dicendum, *si dubitatur, an in lege promulgata comprehendatur* vel ne aliquid onus; tunc enim non tenemur illud implere: quia pro illa parte de qua lex est dubia, lex non possidet. Contra vero, *si lex est certe condita et certe promulgata*, et inde oritur dubium an sit abrogata, vel revocata aut dispensata, est observanda; quia tunc ipsa possidet. — Sic etiam *in dubio, an lex per se justa fuerit acceptata*, etiam observari debet; quia praesumendum est, eam fuisse receptam, ex illo alio principio: *In dubio praesumitur factum, quod de jure faciendum erat*.

28. - Infertur 2^o id quod de lege dictum est, dicendum esse etiam de voto; votum enim est instar legis particularis, quam homo sibi imponit.

Hinc, si quis dubitat *an emiserit votum*, non tenetur illud implere, ut communiter docent Cabassutius², Suarez³, Sanchez⁴, Anacletus⁵, Salmant.⁶ cum

n. 7. — ⁴ Decal., lib. 1, cap. 10, n. 36. — ⁵ Tr. 6, de Voto, dist. 3, qu. 2, n. 15. — ⁶ Tr. 17, de Voto et Juram., cap. 1, n. 143.

a S. Alphonso adductum: « Non... possessori incumbit necessitas probandi eas [possessiones] ad se pertinere: cum te in probatione cessante, dominium apud eum remaneat ». Cfr. etiam L. Actor 23, ibid., ubi dicitur: « Actor quod adseverat, probare se non posse proficendo, reum necessitate monstrandi contrarium non adstringit, cum per rerum naturam, factum negantis probatio nulla sit ».

Lex dubie condita vel promulgata non obligat.

Secus de lege dubie abrogata vel dispensata.

Idem de voto.

Practice dubitans dubium deponere debet.

Vel consultat doctum.

Dubium inane.

Quinam suffragetur possessio.

aliis innumeris. — Sic pariter, qui dubitat an in voto emisso comprehendatur aliquid, vel non, non tenetur ad votum, quoad partem de qua dubitat: pro illa enim parte votum non possidet; ut habetur ex cap. *Ex parte 18, de censibus*, ubi, cum aliqui quaedam vota emisissent, et postea dubitarent an tenerentur ad majus vel ad minus promissionis factae, sancitum fuit teneri eos tantum ad minus ^{a)}; ideoque notat ibi Glossa: *In dubiis, liberum est sequi quod magis placuerit.*

Contra vero, si quis est certus de voto et dubitat de satisfactione, tenetur quidem ad votum: quia tunc votum possidet.

29. - Dicunt tamen plures auctores, quod si quis probabiliter iudicat jam voto satisfecisse, an teneatur hoc non obstante illud implere?

Negant plures AA., nempe Roncaglia ¹, Salmant. ² cum Leandro, Lugo ³ et alii; quia (ut ajunt) ^{a)}, cum obligatio legis eo casu sit dubia, fit dubia etiam legis possessio. — Olim probabilem hanc opinionem putavi, ductus magis a probabilitate extrinseca quam intrinseca; sed re melius

¹ Tr. 8, de 2^o Praecepto, qu. 2, de Voto, cap. 2, qu. 4, resp. 2. — ² Loc. cit. n. 145. - *Leand.*, part. 7, tr. 1, disp. 43, qu. 3. — ³ De Sacram. Poenit., disp. 16, n. 60. — ⁴ Lib. 4,

28. - ^{a)} Cap. *Ex parte 18, de censibus*, loquitur de iis, qui emittenti successerunt et votum persolvere desierunt, de quibus proinde dicit: « Cum ergo non constet ad quam mensuram antecessores eorum praedicta vota persolverint, credimus distinguendum, utrum habitatores regionis ipsius, qui ea continue persolverunt, ad unam et eandem mensuram hujusmodi vota persolverint, an ad varias et diversas... In secundo [casu] volentes solvere ad minorem, non sunt cogendi ut ad majorem persolvant: quoniam, cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt a viris ecclesiasticis exigenda ».

29. - ^{a)} Rationem istam auctores allegati non adducunt; sed Salmant. et Leander aliam proferunt, quod nempe in moralibus probabile iudicium sequi sufficiat.

^{b)} Filiucci, *tr. 21, cap. 4, n. 159, i. f.*, perspicue significat se loqui de probabili voti solutione; docet enim principium possessionis valere in omni materia, cum sunt pares rationes probantes obligationem et libertatem. Quibus addit: « Debet tamen semper esse par ratio sive causa, ad hoc ut possessio

perpensa, nunc minime illam probabilem censeo. Hinc oppositam dico tenendam, cum Concina ⁴, Antoine ^{b)}, Filiuccio ^{b)}, Leandro ^{c)} et aliis. Ratio, quia, cum votum est dubie emissum, recte dicitur non adesse obligationem illud implendi: tunc enim possidet libertas; cum tamen votum est certum, libertas haec ligata remanet ab obligatione voti, donec votum certe non sit impletum. Tum tantum prima sententia admitti posset, cum probabilitas esset talis, quod praesumere faceret quadam certitudine morali, voto jam fuisse satisfactum.

Quod autem diximus de voto, intelligendum est etiam de satisfactione poenitentiae sacramentalis.

30. - Si quis autem votum emisisset, et postea opus promissum jam praestitisset, immemor tamen obligationis ex voto contractae, valde probabiliter non tenetur opus illud iterum praestare; ut docent Suarez ⁵, Laymann ⁶, Sanchez ^{a)}, Bonacina ^{a)} cum Azor ^{a)}, Lessio ^{b)} et aliis communiter. — Hoc tamen procedit semper ac vovens certe judicare potest, quod si memor voti fuisset, pro illius satisfactione applicasset opus illud: quod utique com-

in Decal., diss. 2, de Voto, cap. 4, n. 10 cum n. 3. — ⁵ De Relig., tr. 6, lib. 4, cap. 8, n. 14. — ⁶ Lib. 1, tr. 4, cap. 4, n. 7, v. *Caeterum*.

vincat; alioqui contingere potest ut imparitas vincat alterius possessionem; ut... si certus sim de voto facto, dubius de solutione, teneor solvere». — Antoine pariter de dubia solutione loquitur, *de Virtut. relig., cap. 3, qu. 5, n. 3*; quid autem per dubiam solutionem intendat, clare colligitur ex iis quae dicit, *n. 2*, de dubia voti emissionem: eam scilicet contingere « in aequali utriusque probabilitate ».

^{c)} Leander, *part. 7, tr. 1, disp. 43, qu. 3*, priorem sententiam tenet, quidquid dicat Concina.

30. - ^{a)} Sanchez, *Decal., lib. 1, cap. 13, n. 10*, hanc utique sententiam tuetur, sed cum limitatione: « dummodo pro alia re non applicentur ». — Idemque advertit Bonacina, *disp. 1, de Legib., qu. 1, punct. 10, n. 11*. Quod pariter significat Azor, *part. 1, lib. 7, cap. 2, qu. 6*, negans satisfieri, si opus praescriptum adimpleatur cum intentione non satisfaciendi.

^{b)} Lessius, *de Just. et Jure, lib. 2, cap. 37, n. 59*, de casu haud absimili tractat, et dicit satisfacere praeecepto eum, qui die festo sacrum audit cum intentione non satisfaciendi.

S. Doctor negat.

Limitatio.

Immemor voti satisfecit.

Quando.

muniter praesumendum est; quisque enim generalem voluntatem habet prius oneri ex obligatione debito faciendi satis, proinde opera supererogationis addendi.

31. - Infertur 3^o quod *subditus*, quamvis non teneatur obedientiam praestare superiori praecipienti in iis quae sunt certe illicita, *tenetur vero in iis de quibus dubium est, an sint licita vel ne*; quia in dubiis standum est pro superiore possidente jubendi potestatem, qua in dubio exspoliari nequit. Ita communiter Cajetanus ^{a)}, Contin. Tournely ¹ et alii plures, cum S. Antonino ², S. Bonaventura ^{b)} Cabassutio, Soto, etc.

Limitatio. *Limitatio* vero Sotus, Contin. Tournely ³, Lessius, Sanchez ⁴, Salmant., etc. communissime, quoties res praeepta esset *valde difficilis et molesta*; nempe, si subditus obediendo deberet se vel alterum exponere periculo gravis damni spiritalis, vel temporalis ^{c)}. — Haec fusius exponemus, tractando de Praeceptis particularibus, *Lib. IV, cap. I, n. 47*.

32. - Infertur 4^o quod adolescens dubitans, an *vigesimum primum* annum expleverit, non tenetur ad jejunium. — Dubi-

¹ De praecip. Obligat. statuum, part. 2, cap. 2, art. 3, qu. 5, resp. 2. — ² Part. 3, tit. 16, cap. 1, § 9, vers. *Secundo modo... Tertio. Cabassut.*, lib. 1, cap. 21, n. 17. - *Sotus*, de Secreto, membr. 3, qu. 2, concl. 1. - *Sotus*, loc. cit. concl. 1 in declarat., et concl. 3. — ³ Loc. cit. - *Less.*, lib. 2, cap. 41,

31. - ^{a)} Cajetanus, *in 2am 2ae, qu. 169, art. 2, ad 4, v. Ad 2 dubium*, addit: « Debet autem subditi praesumere quod justum est, habentes bonam aestimationem de suo principe, quamvis quoad certitudinem fluctent ».

^{b)} S. Bonaventura, quamvis a pluribus citetur, et signanter a Sanchez, *Decal., lib. 6, cap. 3, n. 3*, ipse tamen obscurius de hac re loquitur; quaerit enim, *in 2, dist. 39, art. 1, qu. 3*, « cui magis sit obtemperandum, utrum dictamini conscientiae, an praeecepto praelati, cum obviant sibi ad invicem ». Et respondet: « Plus standum est praeecepto praelati quam conscientiae, maxime quando praelatus praecipit quod potest et debet praecipere ».

^{c)} Lessius ab ista limitatione excipit casum, quo « par vel gravius incommodum sequeretur ex non obediendo ». Salmant. autem distinctionem adhibent, quae doctrinam a S. Alphonso traditam clarius explicat. Si praeeceptum, inquit, « cedat in praeejudicium alterius, nec teneris nec potes obedire... At

tans vero an pervenerit ad annum *sexagesimum* (quo completo, probabiliter homo deobligatur a jejunio, ut dicemus *Lib. III, n. 1036*), tenetur ad jejunium; quia tunc possidet jejunii praeeceptum. — Idem dicendum de eo, qui dubitat de *aetate requisita ad sacrum ordinem* vel beneficium suscipiendum; tunc enim stat possessio pro praeecepto.

Idemque dicendum de eo, qui est in *sabbato*, et dubitat an transierit hora mediae noctis; tunc enim nequit vesci carnibus, cum adhuc possideat praeeceptum abstinentiae. — Secus vero, si quis dubitat de hoc in *feria quinta*; quia tunc post adhibitam diligentiam licite potest edere carnes, cum adhuc possideat libertas. — Laymann ^{a)}, Sanchez ^{a)}, Busenbaum ^{a)} et alii plures.

33. - Infertur 5^o quod si post *matrimonium* bona fide contractum supervenit dubium de valore illius, *ante inquisitionem* veritatis dubitans non potest petere, sed tenetur reddere ^{a)}; quia conjux dubium ignorans adhuc possidet jus petendi. — *Post* vero inquisitionem, dubitans potest etiam petere; ut probabilius tenent Sotus, Habert ^{b)}, Wigandt, Roncaglia,

n. 76, v. *Adverte*. — ⁴ Decal., lib. 6, cap. 3, n. 23 et 24. - *Salmant.*, tr. 15, de Staru relig., cap. 6, n. 68 et 69. — *Sotus*, de Just. et Jure, lib. 4, qu. 5, art. 4, i. f. — *Wigandt*, tr. 16, exam. 5, n. 59, resp. 4. - *Roncagl.*, tr. 21, qu. ult., quaer. 6^o, resp. 2, i. m.

si in tuum cedat praeejudicium..., poteris obedire...; sed ad hoc non teneris ».

32. - ^{a)} Laymann, *lib. 1, tr. 1, cap. 5, n. 33*; Sanchez, *de Matrim., lib. 2, disp. 41, n. 38*; Busemb., *lib. 1, tr. 1, cap. 2, dub. 3, n. 4*, non loquuntur de eo qui dubitat an pervenerit ad annum sexagesimum; praeterea Laymann, *n. 36*; Sanchez, *n. 40*; Busemb., *n. 5*, loquuntur, non de feria VI in ordine ad abstinentiam, sed de casu plane simili, nempe de die jejunii, et doctrinam tenent S. Alphonsi doctrinae omnino consentaneam. Quoad reliqua demum docent ea quae ipsis a S. Alphonso tribuuntur.

33. - ^{a)} Cap. *Dominus 2, de secund. nupt.*, non alludit ad inquisitionem; sed tractans de eo qui secundas nuptias contraxit, quin certus fuerit de prioris conjugis morte, decernit: « Si... de morte prioris conjugis adhuc sibi existimant dubitandum, ei quae sibi nupsit, debitum non denegat postulanti; quod a se tamen noverit nullatenus exigendum ».

^{b)} Habert, *de Matrim., cap. 9, § 2, de Ligam., qu. 4*, hanc sententiam innuit tantum,

De aetate requisita ad ordinem.

De die abstinentiae.

Dubius de matrimonio debet reddere.

Post inquisitionem potest petere.

Probabilis voti solutio juxta quosdam satis est.

Sanchez ^{c)}, Salmant. ^{c)}, etc. (Vide dicenda Lib. VI, n. 903 et 904).

Dubius de solutione debiti solvere debet.

34. - Inferitur 6^o quod certus de debito et dubius de solutione, tenetur solvere; ut communiter docent Suarez, Vasquez, Lugo, et alii cum Sanchez ¹. — Casu vero, quo etiam creditor de suo jure dubitaret censet Laymann ², Diana ³ et Sporer ⁴ cum Tamburinio, debitorem teneri tantum ad partem pro rata dubii. Subdit tamen Laymann ^{a)}, quod non auderet condemnare creditorem, si totum exigeret.

35. - Sed hic quaeritur I^o: An possessor bonae fidei, superveniente dubio, teneatur aliquid pro rata dubii restituere?

In dubio aequali tenetur pro rata.

Si dubium est aequale pro et contra, communis est sententia cum Sanchez ⁵ adversus paucos, possessorem ad nihil teneri, ex reg. 65 in 6^o: *In pari... causa potior est conditio possidentis*, et ex reg.

Suar., de Relig., tr. 5, lib. 2, cap. 33, n. 7. - Vasq., in 1^{am} 2^{ae}, disp. 66, cap. 7, n. 43. - Lugo, de Just. et Jure, disp. 18, n. 7. — ¹ Decal., lib. 1, cap. 10, n. 12. — ² Lib. 1, tr. 1, cap. 5, n. 42. — ³ Part. 4, tr. 3, res. 32. — ⁴ Theol. mor., tr. 1, cap. 1, n. 85, II. - Tambur. (non tamen cit. a Sporer), Decal., lib. 1, cap. 3, § 6, n. 9 et § 7, v. Restitutio. — ⁵ Decal., lib. 1, cap. 10, n. 9. — ⁶ De Matrim., lib. 2, disp. 41, n. 19. — ⁷ Tr. 13, de Restit., cap. 1, n. 67. — ⁸ Tr. 1, disp. 3, punct. 2, n. 11. — ⁹ De Just. et Jur., disp. 17, n. 94. - Laym.,

128 ff. de diversis reg. juris: *In pari causa possessor potior haberi debet*. Sed quid, si rationes contra possessorem sint validiores?

Prima sententia dicit quod, licet ipse habeat rationem probabilem pro se, tenetur tamen in eo casu ad restitutionem pro rata illius majoris propensionis; quia conditio possidentis est quidem melior in pari, non autem in dubio inaequali. Ita Sanchez ⁶ cum Coninck ^{a)}, Valentia ^{a)} et Ledesma ^{a)} apud Salmant. ⁷

In inaequali, item juxta alios quos.

Secunda tamen communior et probabilior sententia docet, ad nihil eum teneri, nisi moraliter constet rem esse alienam. Ita Palaus ⁸, Lugo ⁹, Roncaglia ^{b)} cum Laymann, Cardenas, Dicastillo, Tamburinio, Diana, Burghaber et aliis apud Croix ¹⁰, Mazzotta ¹¹, Sporer ¹² cum Molina et S. Augustino ¹³ qui ait: *Bonae fidei possessor*

Probabilis ad nihil tenetur nisi moraliter certus.

lib. 1, tr. 1, cap. 5, n. 21. - Cardenas, Crisis, disp. 16, cap. 8, art. 3, n. 129 et disp. 64, cap. 3, n. 17. - Dicast., de Just. et Jur., lib. 2, tr. 2, de Restitut., disp. 5, dub. 10, n. 199. - Tambur., Decal., lib. 1, cap. 3, § 7, v. Restitutio, n. 2. - Diana, part. 4, tr. 3, res. 26. - Burghab., Centur. 2, cas. 84. — ¹⁰ Lib. 3, part. 2, n. 563. — ¹¹ Tr. 1, disp. 1, qu. 3 de Consc. dubia, cap. 3. — ¹² Tr. 1, cap. 1, n. 76. - Molina, de Justit., tr. 2, disp. 36, concl. 1. — ¹³ De Fide et Operib., cap. 7, n. 10, relat. in Can. Si virgo 5, caus. 34, qu. 1.

disserens de casu cap. Dominus, et quando bona fide, consilio parochi vel confessorii, contraxerunt: « Libere uti possunt, inquit, suo conjugio, quamdiu non supervenerit nova ratio prudenter dubitandi num superstes sit prior conjux; in hoc enim posteriori casu, nisi inquisitione facta dubium illud deposuerint, abstinere se debent, ne adulterii reos se constituent ».

^{c)} Sanchez, de Matrim., lib. 2, disp. 41, n. 46, hanc revera tenet doctrinam haud secus ac Salmant., tr. 9, de Matrim., cap. 15, n. 46; sed addunt posse etiam petere non adhibita diligentia, « si ex ea non speratur fructus; » vel, ut verbis Sanchezii, n. 47, utar: « quando moraliter est impossibile adhibita diligentia posse vinci dubium ».

34. - ^{a)} Laymann, loc. cit., non loquitur de creditore qui integram solutionem exigeret, quidquid dicat Sporer (ex quo S. Alphonsus videtur sumpsisse allegationem); sed de creditore, qui totum reciperet: « Profecto in hoc casu, inquit, neque creditorem condemnarem, si integram solutionem reciperet, neque debitorem si integram solutionem facere omitteret: idque ob diversas probabiles, quibus utraque pars nititur, rationes ».

35. - ^{a)} Quo melius perspicatur mens horum auctorum, cujusque sigillatim doctrinam exponere juvat. Et primo quidem Coninck,

disp. 34, de Matrim., n. 93, haec scribit: « Si alterius jus esset multo probabilius, tunc... possidens aut totam aut saltem ejus partem tenetur restituere; eo quod tanta probabilitas possessioni praevaleat. — Valentia autem disserens de bello justo, Banesii sententiam adducit, quam quidem non reprobat, et secundum quam, testante Valentia, in 2^{am} 2^{ae}, disp. 3, qu. 16, punct. 2, vers. Si autem, « licet altera pars esset in possessione, si de justitia partis quae non possidet, minus dubium esset, posse tunc hanc, a parte quae est in possessione, repetere compensationem aliquam illius minus dubiae actionis quam habet ad rem, et compensationem eam, si opus sit, bello quoque extorquere ». — Demum Petr. Ledesma, de Matrim., qu. 45, art. 1, dub. 2, resp. ad 3^{am} primae sent., partialis restitutionis obligationem intelligendam esse dicit, « si res sit divisibilis; si autem non sit divisibilis, neque potest fieri aliqua convenientia, nihil tenetur restituere ».

^{b)} Roncaglia, ut ipse S. Alphonsus infra notat, non sine distinctione hanc sententiam tuetur; scribit enim, tr. 13, de sept. praec., qu. 2, cap. 2, quaer. 3, resp. 2, possessorem, si pro eo sint rationes tantum tenuis probabilitatis, teneri majorem partem restituere; si vero non sint tenuis probabilitatis, etsi oppositae sint validiores, ad nihil teneri.

rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum. Dum autem certo non constat (ait Sporer) rem esse alienam, tamen possessor ignorat se possidere alienum. — Ratio praecipua hujus sententiae est, quia per possessionem bonae fidei acquiritur verum jus; possessio enim a juristis sic definitur: *Jus insistendi in re non prohibita possideri*. Quapropter dominium rei donec dubium est, possessor retinet jus insistendi: ita tamen ut, ante diligentiam adhibendam ad veritatem assequendam, ipse teneatur rem servare; at post diligentiam, et veritate non assecuta, possit illam consumere et etiam alienare, admonito rerum emptore de dubio vertente super re. Et propter hanc potissimam rationem, Sanchez ^{c)} mutavit sententiam alibi defensam, et secundam est secutus. Cardinalis etiam Sfondratus ¹ dicit, non esse procedendum contra possessorem, nisi ex certitudine. — Hinc parum probabile videtur id quod hic addit Roncaglia ² nempe, quod si rationes possidenti faventes sint tantum tenuiter probabiles, tunc

Sporer, tr. 1, cap. 1, n. 76. — ¹ Regale sacerdot., lib. 1, § 20, n. 11. — ² Tr. 13, de 7^o Praec., qu. 2, cap. 2, quaer. 3,

ipse teneatur rem restituere, saltem quoad majorem partem. Nam si contra possessorem rationes sint taliter probabilissimae, ut fundent contra ipsum moralem certitudinem, tunc ipse tenetur totam rem restituere; si autem secus, ad nihil tenetur.

36. - Quaeritur II^o: *Quid, si contra possessorem adsit ratio probabilis, et nulla pro ipso?*

Prima sententia tenet, quod si ratio illa probabilis generat assensum opinativum unicum, quod res sit aliena, ita ut possessor nullum habeat assensum, quod res sit sua; tunc tenetur restituere. Secus, si adhuc probabiliter putaret rem esse suam. — Ita Sanchez ³ citans Vasquez ^{a)}, Palaus ⁴, Renzi ^{a)}, Tamburinius ^{b)}, Viva ^{e)}, ubi dicit quod, cum possessor habet rationem probabilem contra, et nullam pro se, tunc habet moralem certitudinem, quod res sit aliena.

Si nulla ratio stet pro eo, alii distinguunt.

Secunda sententia, quam tenet Salas ⁵, dicit quod adhuc, quando rationes pro contraria parte assensum generant, modo non convincant, nec assensus sit certus

Alii negant teneri, nisi sit moraliter certus.

resp. 2. — ³ Decal., lib. 1, cap. 10, n. 9. — ⁴ Tr. 1, disp. 3, punct. 2, n. 11. — ⁵ In 1^{am} 2^{ae}, tr. 8, sect. 23, n. 231.

^{c)} Sanchez, Decal., lib. 1, cap. 10, n. 9, licet priorem sententiam adhuc « valde » probabilem judicet, hanc utique secundam sententiam, ut probabilioem, amplectitur, cujus rationem his verbis exponit: « Etsi pro non possidente rem illam, fortiores rationes urgeant, ita ut possidens in eam partem inclinet; at, si non sint adeo efficaces, ut illius partis assensum generent, sed rem adeo relinquunt ancipitem, certa alterius possessio huic inaequalitati praeponderat; et subinde possidentem omni prorsus restituendi obligatione liberat ».

36. - ^{a)} Vasquez (quem utique Sanchez ad se trahere conatur pro priori hujusce sententiae membro) haec tantum, in 1^{am} 2^{ae}, disp. 66, cap. 7, n. 42, docet: « Quamvis urgentiores videantur rationes pro eo qui non possidet, si tamen non sufficiunt assensum generare, locum habere potest... in pari causa aut aequali meliorem esse conditionem possidentis ». — Renzi, de dubio inaequali disserens, Decal., tr. 7, cap. 3, sect. 2, qu. 15, f.: « Tunc tantum, inquit, non teneri restituere, si validiores illae rationes non generent assensum quod res sit aliena, sed rem adhuc dubiam relinquunt; tunc enim, cum ex utraque parte dubium sit an sit aliena, licet ex altera parte sint urgen-

tiores rationes, praevalet possessio. Quodsi assensum generent rem esse alienam, tunc non praevalet possessio ».

^{b)} Tamburinius, Decal., lib. 1, cap. 3, § 7, v. Restitutio, n. 7, plane inuit opinionem hic a S. Alphonso expositam; quaerit enim quis censendus sit rei dominus, et respondet: « Is qui per probabilem aliquam rationem negari non potest; si enim probabiliter negari posset, non erit certo dominus verus, et consequenter contra possessorem non praevaleret ». Praeterea, *ibid.*, § 6, n. 7, idem Tamburinius haec jam scripserat: « Quod in dubio sit melior conditio possidentis, verum est etiam si magis propendeas ad putandum seu (ut recte aliqui loquuntur) ad suspicandum rem ad alium non possidentem pertinere, modo haec propensio (quia scilicet sit ex levi ratione) sistat juxta limites dubii... Quodsi ratio trans-eat ad probabile..., non autem auctoritate propria, potest alius possidentem spoliare, quia ad dictum spolium a privato intendendum contra possidentem, requiritur certitudo moralis ».

^{c)} Viva, Opusc. de Consc. dubia, qu. 2, art. 1, n. 8, v. f., haec sane dicit, sed « regulariter » tantum, et concludit: « Idcirco regulariter in tali casu... videtur ea res restituenda ».

moraliter, sed mere opinativus, includens formidinem, quae necessario in opinione includitur, tunc possessor potest rem retinere: quia possessio praeponderat omnibus rationibus non convincentibus.

Praefatae opiniones videntur sic posse conciliari. Certum est, quod legitima possessio cuique tribuit jus certum rem retinendi, donec non constet de jure alterius; ut dicunt communissime Palaus, Laymann, Sporer et alii citati ut supra cum Croix¹. Et ipse Viva² id concedit, dicens quod *possessio bonae fidei parit jus certum quod praevalere debet juri probabili et non moraliter certo alterius*. Ratio est, quia possessio legitima fundat de se praesumptionem certam de justitia possessoris; ut dicunt Wigandt³ et Lugo⁴. — Ergo, etiamsi adsit iudicium probabile contra possessorem, et nulla probabilitas illi assistat; adest tamen praesumptio orta ab ipsa possessione, quae tribuit ei jus certum, quod nequit superari, nisi a jure certo alterius per rationes certas convincentes.

Quapropter prima sententia dicens, quod possessor teneatur restituere, quando habet assensum opinativum contrarium, et nullum pro se, sane est intelligenda, quando possessio esset ex aliqua parte infirma, utpote dubia, vel incepta cum dubia fide, ita ut nulla legitima praesumptio ex ea oriri videatur pro possessore; tunc enim vere nulla probabilitas ipsi assisteret, unicumque iudicium opinativum tunc ipse haberet rem esse alienam. Secus vero, si haberet possessionem certam ac legitimam bonae fidei; quia tunc sola

¹ Pal., loc. cit., n. 11 et 12. - Laym., lib. 1, tr. 1, cap. 5, n. 21. - Spor., tr. 1, cap. 1, n. 76. - ² Lib. 3, part. 2, n. 563. - ³ Opusc. de Consc. dubia, qu. 2, art. 1, n. 8, v. f. - ⁴ Tribunal confessorior., tr. 2, exam. 1, quaer. 7, vers. Ratio 1. - ⁵ Lib. 1, n. 501. - ⁶ Lib. 3, part. 2, n. 564. —

^{a)} En verba quibus Lugo, de Just. et Jure, disp. 17, n. 94, id aperte innuit: « Quaecumque sit illa inclinatio ad partem oppositam, non praeponderat titulo possessionis, qui fortior est et facit meliorem causam possessoris, qui spoliari non debet, quamdiu pro altera parte non affertur ratio conveniens [forte convincens] vel praesumptio juris, quae superet praesumptionem [nota] ex possessione ortam ».

^{37.} - ^{a)} Lessius parum recte citatur a Salmant.; nam ipse, de Jure et Just., lib. 2, cap. 14, n. 23, non quidem pro rata dubii, sed absque

possessio, etiamsi nulla alia ratio ei suffragaretur, praeberet illi jus certum, quod superari non potest nisi a rationibus certis oppositis, non autem ab opinione probabili, quae necessario formidinem includit. — Et hoc clare innuit Lugo⁴), ubi ait, possessionem de se parere praesumptionem praevalem pro possessore, ne ipse sit privandus, donec non constet de jure alterius per probationem superantem praesumptionem possessionis. Unde recte concludit Croix⁴ quod, licet pro possessore non sit probabile argumentum, si tamen pro petitore non sit argumentum nisi probabile, possessor adhuc licite retinet; quia possessio est jus certum retinendi, contra quod non praevalet nisi certitudo.

Hoc idem dicitur pariter de matrimonio probabiliter nullo. — Vide Lib. VI, n. 904.

^{37.} - Quaeritur III^o: *Quid, si possessor bonae fidei, dubio superveniente, negligat culpabiliter diligentiam adhibere, sed postea non possit versus dominum amplius adinveniri?*

Lacroix⁵, Roncaglia⁶, et Salmant.⁷ cum Sanchez, Lessio^{a)}, etc. dicunt, tunc possessorem teneri rem restituere pro rata dubii. — Contra vero Palaus⁸, Bonacina⁹, Tamburinius^{b)} cum Diana^{b)} et Rebellus probabile putant quod possessor, quamvis peccarit mortaliter, diligentiam omitendo, tunc tamen ad nihil tenetur, cum, ex una parte damnum illatum sit dubium, et ex alia jus possessionis bona fide acquisitum ipse adhuc retineat.

⁶ Tr. 13, de 7^o Praec., qu. 2, cap. 2, quaer. 3, — ⁷ Tr. 13, de Restit., cap. 1, n. 64, i. f. - Sanch., Decal., lib. 2, cap. 23, n. 183. — ⁸ Tr. 1, disp. 3, punct. 2, n. 9. — ⁹ Disp. 1, de Restit. in genere, qu. 2, punct. 2, n. 8. - Rebell., de Obligat. justit., part. 1, lib. 2, qu. 5, n. 12.

limitatione docet restituendum esse « non solum rem illam, sed etiam fructus consumptos ex eo tempore, quo [possessor] dubitare coepit ».

^{b)} Tamburinius, Decal., lib. 1, cap. 3, § 7, v. Restitutio, n. 9, non solum probabile putat, sed absolute negat possessorem in hoc casu teneri ad restitutionem; et allegat Dianam, sed perperam. Diana enim, part. 4, tr. 3, res. 29, utramque adducit opinionem, et quidem ultimo loco opinionem docentem in eo casu possessorem ad nihil teneri; sed ipse nullum de his iudicium profert.

Opinio auctoris: ad aliquid tenetur.

Verius autem censeo dicendum, quod talis possessor teneatur aliquid restituere (vel domino, vel pauperibus, si dominus sit incertus). Ratio est quia, cum ipse culpabiliter dominum privarit spe, quam dominus ad rem habere poterat, et illa spes erat quidem pretio aestimabilis, jam damnum certum est illatum domino, qui spem illam etiam certe possidebat. — Puto tamen, non esse faciendam restitutionem pro quantitate dubii, ita ut, si rationes ex utraque parte essent aequales, res sive ejus pretium pro medietate sit restituendum; sed minus, et forte valde minus. Quia illa spes domini non poterat aestimari pro medietate valoris rei, sed multo minoris: stante aequali probabilitate rationis ex una parte, et certo jure possessionis ex alia, quae possessori favebat, et adhuc favet. Possessio enim rei multo quidem majoris aestimatur, quam possessio spei.

Notat autem I^o Tamburinius¹ cum Villalobos^{c)} et alii, quod si possessor incipiat dubitare per rationes probabiles, tenetur quidem inquirere veritatem; secus vero, si dubitaret per rationes tantum tenues. — Notat II^o Croix² cum Vasquez, Laymann,

¹ Decal., lib. 1, cap. 3, § 7, v. Restitutio, n. 5. — ² Lib. 3, part. 2, n. 562. - Vasq., Opusc. de Restit., cap. 9, § 2, dub. 3, n. 18. - Laym., lib. 1, tr. 1, cap. 5, n. 22. - Pal., tr. 1, disp. 3, punct. 3, n. 3. - Sanch., de Matr., lib. 2, disp. 41, n. 28 et Decal., lib. 2, cap. 23, n. 178. - Mol., tr. 2, disp. 36, n. 1 et 3; cfr. disp. 723, n. 6. — ³ Tr. 13, de 7^o Praec., qu. 2, cap. 2, quaer. 3, resp. 1, v. f. — ⁴ Tr. 18,

^{c)} Villalobos male citatur a Tamburinio; hoc enim assertum omnino praetermittit loco a Tamburinio allegato, id est: Sum., part. 1, tr. 1, diff. 20, n. 4.

^{d)} Croix, Laymann et Palaus loquuntur de solo casu, quo diligens inquisitio facta sit. — Molina vero et Sanchez, etiam de casu, quo (ut apud S. Alphonsum) diligentia facta sit impossibilis. — Vasquez denique, nulla mentione facta de bona fide prioris possessoris, absolute scribit: « Eam rem, quam quis dubitat an sit furtiva necne, potest accipere vel titulo donationis, vel emptionis, vel permutationis, denique quocumque titulo, eo tamen animo quod efficiat sufficientem diligentiam, et invento vero domino rem illam restituat ». Quibus, n. 19, addit: « Tandem notandum, quod si impossibilis est inquisitio moraliter loquendo, non est facienda ».

^{38.} - ^{a)} Sanchez, de Matr., lib. 2, disp. 41, n. 40, tractat de dubio n. sequenti ponendo,

Palao, Sanchez, Molina, etc., et non improbabile putat Roncaglia³, quod, cum possessor (etiam qui cum dubio incoeperit possidere) rem habuerit a possessore bonae fidei, si postea diligentia fit impossibilis⁴⁾, nihil tenetur restituere; ipse enim in omne jus illius legitime tunc succedit.

^{38.} - Quid denique dicendum in dubio, si aliquid cibi vel potus deglutiveris, an possis tunc Eucharistiam accipere?

Negant Sanchez^{a)} Roncaglia⁴, et Salmant^{a)} cum aliis; tum quia (ut ajunt) legi certae non communicandi sine jejuniis non satisfacit per dubiam satisfactionem; tum quia id videtur gravi irreverentia non carere.

Alii tamen, ut de Lugo⁵, Castropalaus^{b)}, Laymann⁶, Diana⁷, Lacroix⁸, Busenbaum⁹, et Sporer¹⁰, cum Sa^{c)} Cardenas^{c)}, Medina, Gobat, Bossio et alii, dicunt, in tali dubio bene te posse communicare. — Ratio horum est, quia lex jejunii non est positiva, ita ut praecipiatur jejunium tanquam requisitum absolute necessarium ad communicandum; sed est prohibitiva qua prohibetur quisque accedere ad communionem, si aliquid cibi aut potus sumpserit, ne conjugatur terrenus cibus

de Euchar., qu. 1, cap. 5, quaer. 6, resp. 1. — ⁵ De Sacram. Euchar., disp. 15, n. 43. — ⁶ Lib. 1, tr. 1, cap. 5, n. 36. — ⁷ Part. 3, tr. 4, res. 29. — ⁸ Lib. 6, part. 1, n. 576. — ⁹ Lib. 6, tr. 3, de Euchar., cap. 2, dub. 2, art. 2, resp. 2, n. 3. — ¹⁰ De Sacram., part. 2, cap. 6, n. 474. - Barthol., Medina, Sum., lib. 1, cap. 14, § 42. - Gob., tr. 4, n. 280. - Boss., Moralia, de Consc. dubia, n. 1712.

sicut pariter Salmant., tr. 4, cap. 7, n. 69; quaerunt enim de eo qui, dubitans an audita fuerit hora noctis duodecima, edit et bibit; et negant eum posse die sequenti communicare. Ratio autem quam Salmant. adducit est, quod lex jejunii Eucharistiam sumendi est in possessione.

^{b)} Castropalaus a S. Alphonso in prioribus editionibus, lib. 1, n. 80, citabatur tanquam probabilem existimans hanc alteram opinionem. Quod sane videtur admittere Palaus, tr. 1, disp. 3, punct. 8, n. 9, ubi priorem sententiam probabilioris tantum dicit.

^{c)} Emmanuel Sa, qui pro hac sententia citatur a Palao, eam silentio praetermittit, v. Eucharistia, n. 27 (quem locum allegat Palaus). — Cardenas male pariter citatur a Croix; nam, Cris., disp. 26, n. 87, tractat de casu numero sequenti ponendo: de eo scilicet qui aliquid deglutivit, sed dubitat utrum post mediam noctem id sibi acciderit.

Rem habens a possessore bonae fidei quando non teneatur.

Dubius de cibo suscepto nequit communicare juxta alios.

Juxta alios potest.

cum divino. Id enim ait Lugo¹ constare ex concilio Bracharensi II², ubi prohibetur ne aliquis, quocumque cibo praesumpto, oblationem consecret in altari. Item in concilio Toletano VII³ habetur: *Nullus post cibum potumve, quamlibet minimum sumptum, Missas facere praesumat.* Item in concilio oecumenico Constantiensi⁴ dicitur: *Sacrorum canonum auctoritas laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis, a jure vel Ecclesia concessa vel admissa.* Ita apud Lugo⁵. Posito igitur quod lex jejunii est prohibitiva, nempe, ne quis communicet post cibum sumptum, probandum est factum jejunii fracti, ut quis communicare prohibeatur. In dubio autem, an factus sit casus quo vigeat prohibitio legis, non tenetur is abstinere a communione, dum adhuc tunc possidet sua libertas; praecepto enim Ecclesiae (inquit Lugo), ne quis communicet post cibum, non adversatur, qui facto examine non scit se aliquid sumpsisse. Licite igitur in dubio de fractione jejunii, ille communicat; etenim cum ipsi eo casu tantum vetita esset communio, quo jejunium fregisset, bene possidet libertas communicandi, usque dum de fractione non constat. — Ratio haec non videtur contemnenda ut futilis: saltem eo casu lex prohibens communionem non videtur certa, et tanquam

dubia non obligat; juxta dicenda n. 55⁶ et seqq.

Ad secundam autem rationem irreverentiae oppositam respondent, non censeri irreverentem, qui utitur jure suae libertatis, maxime si ex devotione ad communionem accedit.

39. - An autem idem dicendum, quod possit communicare, qui dubitat an post mediam noctem cibum aut potum sumpserit?

Negat Lugo, quia (ut ait) cum quis scit se comedisse, et dubitat an comederit post mediam noctem, videtur ipsi incumbere onus probandi, post mediam noctem non comedisse. — Sed pace tanti viri dicimus, quod ratio supra adducta, quod lex sit prohibitiva, non positiva, si valet pro primo casu, valet etiam pro secundo. Prohibitio enim est non communicandi illis, qui aliquid sumpserint post mediam noctem; si ergo, ne ipsi communicare possint, probandum est factum quod aliquid sumpserint, probandum est etiam factum quod sumpserint post mediam noctem. Caeterum, affirmativam sententiam tenent alii DD. supra citati, quibus accedit doctus Pater Eusebius Amort⁶, ubi inquirens an comedens in dubio, utrum jam sonuerit hora duodecima noctis, possit sequenti die communicare? Sic respondet: *Potest communicare; quia melior est conditio possidentis, quamdiu in contrarium non dantur praesumptiones tam fortes, ut operans ipsemet probabilius credat jam sonuisse duodecimam.*

Item pro dubio an post mediam noctem.

¹ Loc. cit., n. 30 et 43. — ² Concil. Brachar. III (al. II), an. 572, can. 10. — ³ Conc. Tolet. VII (anno 646), capit. 2. — ⁴ Sess. 13, § *In nomine Sanctae*, etc. — ⁵ De Sacram.

Euchar., disp. 15, n. 18, 19. - Lugo, l. c., n. 43, v. f. - Lugo, loc. cit. n. 44. — ⁶ Theol. eccl., de Euchar., disp. 5, quaestiuic., § 4, quaer. 4.